





11544_ 46. V. B.C. 22









CHRISTOPHE DIV.  MISER. SRE. TIE. SS.
 Cat. Cons. Prebijt.  Cardin. e. Comit.
 de Migazzi de Waal. et
 Sonnenturm Archiep. vicin.
 S. R. I. Princ. perpet. Admin.
 Ep. Vacz. Insig. Ord. S. Steph.
 Reg. S. C. M. A. Con. etc. etc.



DISSERTATIO

INAUGURALIS

PHYSIOLOGICO - MEDICA

DE

OLFACTU,

QUAM

ANNUENTE INCLYTA FACULTATE

MEDICA

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VIENNENSI

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT

JOSEPHUS IGNATIUS FANTON

DE BRUNN

CARNIOLUS LABACENSIS

AA. LL. ET PHILOSOPHIÆ MAGISTER.

Disputabitur in Universitatis Palatio.

DIE XI. MENSIS *Febr.* MDCCLXXIX.

VIENNÆ

TYPIS ANDREÆ MATHIÆ SCHMIDT,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.



IN=030006636

EMINENTISSIMO AC CELSISSIMO
CHRISTOPHORO

S. R. E.

TITULO QUATUOR CORONATORUM
CARDINALI PRESBYTERO
S. R. I. PRINCIPI,

E COMITIBUS
DE MIGAZZI DE WAAZ
ET SONNENTHURM

METROPOLEOS VIENNENSIS

ARCHI - EPISCOPO,

EPISCOPATUS VACZIENSIS
ADMINISTRATORI PERPETUO,

CANONICO CAPITULARI CATHEDRALI
ECCLESiarUM

TRIDENTINÆ, BRIXIENSIS, ET OLOMUCENSIS

PRIORI

AD SS. ÆGIDIUM ET LEONARDUM.

Insignis Ordinis S. Stephani Regis Apostolici
MAGNÆ CRUCIS EQUITI,

Sac. Cæs. nec non Cæs. Reg. Apost. Majestat.
ACTUALI CONSILIARIO INTIMO &c. &c.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

1913 1914 1915

23111MO

12345678910111213141516171819202122232425262728293031323334353637383940414243444546474849505152535455565758596061626364656667686970717273747576777879808182838485868788899091929394959697989910010110210310410510610710810911011111211311411511611711811912012112212312412512612712812913013113213313413513613713813914014114214314414514614714814915015115215315415515615715815916016116216316416516616716816917017117217317417517617717817918018118218318418518618718818919019119219319419519619719819920020120220320420520620720820921021121221321421521621721821922022122222322422522622722822923023123223323423523623723823924024124224324424524624724824925025125225325425525625725825926026126226326426526626726826927027127227327427527627727827928028128228328428528628728828929029129229329429529629729829930030130230330430530630730830931031131231331431531631731831932032132232332432532632732832933033133233333433533633733833934034134234334434534634734834935035135235335435535635735835936036136236336436536636736836937037137237337437537637737837938038138238338438538638738838939039139239339439539639739839940040140240340440540640740840941041141241341441541641741841942042142242342442542642742842943043143243343443543643743843944044144244344444544644744844945045145245345445545645745845946046146246346446546646746846947047147247347447547647747847948048148248348448548648748848949049149249349449549649749849950050150250350450550650750850951051151251351451551651751851952052152252352452552652752852953053153253353453553653753853954054154254354454554654754854955055155255355455555655755855956056156256356456556656756856957057157257357457557657757857958058158258358458558658758858959059159259359459559659759859960060160260360460560660760860961061161261361461561661761861962062162262362462562662762862963063163263363463563663763863964064164264364464564664764864965065165265365465565665765865966066166266366466566666766866967067167267367467567667767867968068168268368468568668768868969069169269369469569669769869970070170270370470570670770870971071171271371471571671771871972072172272372472572672772872973073173273373473573673773873974074174274374474574674774874975075175275375475575675775875976076176276376476576676776876977077177277377477577677777877978078178278378478578678778878979079179279379479579679779879980080180280380480580680780880981081181281381481581681781881982082182282382482582682782882983083183283383483583683783883984084184284384484584684784884985085185285385485585685785885986086186286386486586686786886987087187287387487587687787887988088188288388488588688788888989089189289389489589689789889990090190290390490590690790890991091191291391491591691791891992092192292392492592692792892993093193293393493593693793893994094194294394494594694794894995095195295395495595695795895996096196296396496596696796896997097197297397497597697797897998098198298398498598698798898999099199299399499599699799899910001001100210031004100510061007100810091010101110121013101410151016101710181019102010211022102310241025102610271028102910301031103210331034103510361037103810391040104110421043104410451046104710481049105010511052105310541055105610571058105910601061106210631064106510661067106810691070107110721073107410751076107710781079108010811082108310841085108610871088108910901091109210931094109510961097109810991100110111021103110411051106110711081109111011111112111311141115111611171118111911201121112211231124112511261127112811291130113111321133113411351136113711381139114011411142114311441145114611471148114911501151115211531154115511561157115811591160116111621163116411651166116711681169117011711172117311741175117611771178117911801181118211831184118511861187118811891190119111921193119411951196119711981199120012011202120312041205120612071208120912101211121212131214121512161217121812191220122112221223122412251226122712281229123012311232123312341235123612371238123912401241124212431244124512461247124812491250125112521253125412551256125712581259126012611262126312641265126612671268126912701271127212731274127512761277127812791280128112821283128412851286128712881289129012911292129312941295129612971298129913001

STATE OF TEXAS

[illegible]

ADAM SMITH

CELSISSIME
AC
EMINENTISSIME
PRINCEPS.

*Q*uid dulcius, quid optatum magis, aut honorificentius quid mihi evenire potuerat, quam has laborum primitias TUO Celsissime ac Eminentissime Princeps inscribere nomini, TUO sub auspicio defendere.

Fateor equidem opusculum hoc tenue admodum nec TUO quo condecoratur Nomine dignum. Insignis enim scientia-

rum, quibus versaris amor, ut vera religio, hominum salus, atque optima studia promoveantur, & innumera exempla Clementiæ TUÆ, qui tanta petere fueram ausus, erexerant animum. Noveram ea, quæ in re litteraria cum emolumento rei publicæ peraguntur a TE salubria haberi, æstimari, promoveri: Instituísti ideo pro alumni collegium, ea sane de causa, ut fere ab incunabulis patrum doctrina imbuti, ad munera Ecclesiæ administranda aptissimi efformentur: Erexisti ideo magnis quidem sumptibus Ecclesiam Vacziensem non ad vanam ostentationem, sed ut Religionis dignitates amplificentur, ut literæ

teræ & profanæ & potissimum sacræ ex-
colentur.

Id est, quod omnes in TE admirantur,
quod sera etiam posteritas nullis laudum
encomiis satis poterit depredicare. Atque
ut illa, quæ Roma, quæ Tridentum, quæ
Hispania de TE depredicant, & alia in-
numera, quæ nec verbis comprehendi pos-
se videntur, silentio præteream, quis est,
qui & liberalitatem TUAM erga ægenos,
& amorem munificentiamque erga subditos
ignoret.

Infinitus sane forem, si omnia eximia
& præclara gesta, dignitatesque omnes,
quibus coronaris, recensere velim.

Suscipe hinc Celsissime ac Eminentissime Princeps ea, qua soles animi benignitate hasce laborum Primitias, meque TUIS favoribus participem reddere non desiste.

EMINENTIÆ AC CELSITUDINIS
TUÆ

DEVINCTISSIMUS

JOSEPHUS IGNATIUS FANTON
DE BRUNN.




DE OLFACTU.



ub nomine Olfactus eum intelligimus sensum exterum, quo mediante corpora odora percipimus, & a se invicem distinguimus; hic sensus non peculiare quodam generis humani est privilegium, sed in plerisque forsitan omnibus animalibus, imo in non paucis exquisitior deprehenditur.

Organum Olfactus nasus est, licet & in eo tactus aliquis exerceatur, qualitates enim corporum externorum externas nonnullas egregie percipit, non vero proprie ad hunc sensum est factus, sed ad corpora odora exploranda distinguenda, dijudicanda, a natura positus fabrica sua optime huic instituto inservit. Apte



autem nasus in partem externam & internam dividitur.

Pars externa in medio faciei prominens triangularis ex lato in angustum sursum producitur, & intermedio septimento dividitur; hæc pars ad olfactus exercitium vel plurimum facta, simulque faciei ornamento inserviens, proprieque nasus dicta, fit a processibus nasalibus ossis frontis quibus duo officula nasi propria adnectuntur, pars media, quæ proprie dorsum nasi audit, a processu nasali ossis utriusque maxillaris superioris & ab extremitate inferiori duorum ossium nasalium, pars nasi inferior & latior ex cartilaginibus perficitur, atque variis musculis & integumentis communibus tegitur.

Cartilagines narium quinque enumerantur, e quibus una intermedia & quatuor laterales sunt, media fulerum reliquarum, partem septi narium cartilagineam constituit, ex utroque latere septi aliæ duæ cartilagines ponuntur, quarum anteriores antrorsum inflexæ unione sua apicem nasi constituunt, posteriores autem pinnae narium formant. Hæ enumeratæ quinque cartilagines communiter ordinariæ, atque figuræ admodum regularis adsunt, dum aliæ a nonnullis authoribus descriptæ non nisi accessorix, minores minus regulares, atque numeri his minus determinati existunt.

Cartilaginea nasi pars prominens mobilis est, diduci & constringi potest, prout plus minusve aëris attrahere, & exquisitius olfacere volumus, hoc tam in homine, quam in quadrupedibus quotidiano experimento videre est, ob hanc rationem non ex una & indiscreta cartilagine, sed ex pluribus a se invicem divisis componitur, & variis musculis obducitur nasus, qui & in respiratione vehementiori & in acutiori olfactu agunt. Naso tria musculorum paria propria sunt, & quidem levator alæ nasi labiique superioris, qui agens & labium superius elevat, & alas nasi sursum extrorsumque ducit, ac dilatat. Constrictor vel compressor nasi agendo pinnas nasi premit versus septum, atque ita nares aliquantulum contrahit & angustat. Depressor demum alæ nasi alas nasi, dum agit deprimit, & deprimendo minuit foramina narium. Nonnulli authores huc insuper referunt musculum nasalem Albinii, seu nasalem labii superioris, qui agens aut septum narium & apicem nasi deorsum trahit aut angulos oris constringit, hinc labium superius corrugat; alii authores adhuc alios musculares fasciculos posuerunt, omnibus his partibus integumenta externa supersternuntur.

His nasus seu prominens pars circumscribitur, interiorum nunc structuram & cavitatem sat amplam,

plam, intermedio sepimento divisam, concursu plurium ossium formatam paucis considerabimus. Hoc septum partim descendente media ossis ethmoidei lamina factum, partim osse vomeris & cartilaginibus completur, nasum anteriorem duobus orificiis hiare facit, quæ inde ad internam cavitatem ex quovis latere ducunt, hæc cavitates proprie nares dicuntur; hi nares sursum angustiores procedunt, inde retrorsum & posterius descendunt, & in pharyngem itidem septo distincti, sed ovati, ampli & ad perpendiculum longiores hiant, hæc internæ cavitates nasi totum spatium, quod inter nares anteriores atque nares posteriores immediate supra fornix palati est, comprehendunt, unde sursum usque ad cribrosam ossis ethmoidei laminam extenduntur, ubi antè cum sinibus frontalibus & posterius cum sinibus sphœnoidalibus communicant, & lateraliter inter conchas ad sinus maxillares patulam habent viam.

Tota hæc bipartita cavitas sequentibus ossibus componitur, & quidem osse frontis, duobus ossibus nasalibus, duobus ossibus maxillari-
bus superioribus, osse ethmoideo, sphænoideo, vomere, duobus ossibus palatinis, duobus ossibus unguis, quæ enumerata ossa alias adhuc amplas formant cavitates, sinus dictas, quibus omnibus capacitas narium augetur; verum hæc interna
narium

narium cavitas non ita vacua est, ut nil præter
 septum in ea contineatur, sed natura organi
 olfactus territorium amplissimum esse volens
 tria adhuc ossium paria posuit; ossicula hæc
 plura nomina acquisiverunt, communissime au-
 tem ossa spongiosa ob fabricam nominantur.
 Horum in quavis parte tria continentur, supre-
 mum, medium, & infimum. Supremum & mi-
 nimum ad os cribrosum pertinet, medium, &
 infimum amplissimum ab osse maxillari prove-
 nit, cæterum licet libere quasi in cavitatem
 narium promineant, tamen a septo osseo ita
 distant, ut via a summo osse cribroso ad imum
 narium fundum penes septum continua sit,
 qua mucus delabi possit. Fabricam quod attinet,
 ea ossa lamellis tenerrimis spongiosis, inflexis,
 componuntur, in sagatoribus animalibus & mo-
 le majora & inflexa magis inveniuntur, unde
 eo amplior evadit eorum superficies, atque ter-
 ritorium olfactus augetur. Ex dispositione ho-
 rum ossium patet nares tribus in locis per hæc
 ossicula ita angustari ut tria spatia ampliora in-
 tercedant, quæ etiam ideo meatus narium au-
 diunt, & supremus, medius, infimusque salu-
 tantur: hæc angustatio narium per ossicula eum
 habet usum, ut aer naribus attractus in his an-
 gustiis necessario impingat, atque eo minus
 subterfugere queat.



Sinuum demum, qui quasi narium appendices considerari merentur, tria numerantur paria: sinus nempe frontales, sphœnoidæi, & maxillares. Primi sunt sinus frontales, quorum in quovis latere unus deprehenditur, hi in foetu constanter defunt, nec nisi per ætatem nascuntur, dum lamina ossis frontalis a se mutuo discedere incipiunt; sunt autem sinus hi, cava, ab antica mediaque parte ossis frontis efformata, uno binisque orificiis superius in cavum narium hiantia. Magna horum sinuum differentia in diversis subjectis, & ratione amplitudinis, quæ quandoque admodum lata, quandoque valde parva est, & ratione formæ, quæ sæpius satis irregularis & in modum cellularum fabricata est, observatur. Plane eos & in adultis deficere nonnunquam visum fuit, & hoc in casu cavitas nasi amplior intus apparet, occurrit etiam subinde alterutrum eorum non in nasum aperiri, sed solummodo cum illo alterius lateris communicare. Multæ adhuc aliæ differentię sed minus essentielles a diversis authoribus descriptę habentur.

Frontalibus proximi sunt sinus sphænoidei, uti illi figura, communicatione cum vicinis & extensione variant, pariterque in foetu deficient, cum uti os frontale, ita etiam sphœnoideum in ea ætate solidum deprehendatur; in
adulto

adulto homine vero os sphœnoideum in portione crassa infra sellæ partem anteriorem, & infra intervallum duorum foraminum opticorum, usque versus rostrum ingenti cellula excavatur, quæ per septum osseum divisa retro conchas nasi superiores aperitur; raro certe casu a paucis authoribus notatur, eos sinus quidem adfuisse, sed ostio caruisse.

Ultimi demum sed & omnium capacissimi sunt maxillares sinus sive antra hygmoriana, in foetu jam conspicui, licet exigui, dum frontaliū finuum nullum adhuc indicium adparet, in osse maxillari superiori sub orbita hærent, & versus futuram ossis malæ, versus rimam sphænomaxillarem, versus foramen orbitarium inferius & deorsum versus alveolos dentium usque excurrunt, in margine superiori quandoque cellulæ quædam cum cellulis ossis ethmoidei communicantes inveniuntur. Hi sinus inter duas conchas nasi retro ductum lacrymalem per unum aut plura orificia aperiuntur, quæ aperturæ fundo finuum multo elevatiores sunt.

Præter hos amplos sinus multa alia sunt receptacula, sed quæ ob minutiem sinus nomen non promeritæ cellulæ vocantur; hæ frequentissime in osse ethmoideo occurrunt, unde & cellulæ ethmoideæ dicuntur, numero incerto, in parte



parte laterali ossis cribiformis exsculptæ, aliæ interiores & septo propiores, aliæ magis exteriores & inferiores in supremum narium meatum pluribus tubulis aperiuntur.

Omnia ea ossa, quæ hæcenus descripta cava, sinus, cellulas, & meatus constituunt, suum habent periostrium, & cartilagine suum perichondrium, sed præter id involucri cutis a facie utrinque nares subit, suamque naturam sensim mutat; mollior magis pulposa, rubicunda magis in membranam mucosam degenerat, suam sibi habet superjectam epidermidem, suamque substratam celluloseam telam, qua cum periostrio cohæret; hæc omnem superficiem narium, omnes ossiculorum spongiosorum anfractus, omnia cava, omnes sinus, cellulasque investiens membrana a descriptore recepto nomine Schneideriana vocatur, cum Conradus Victor Schneider, etsi neque veteribus ignota fuerit, primus antiquo refutato errore, mucum per foramina ossis cribrosi in nares depluere, in ea muci officinam esse demonstraverit. Nominatur etiam membrana pituitaria ab humore quo perpetuo madescit & obducitur.

Antequam hunc humorem examinemus, opus est vasa nosse, a quibus secernatur. Tota membrana copiosissimis gaudet & arteriosis & venosis vasis, docet inspectio, injectio demonstrat.

frat. Ea vasa laxissima esse videntur, cum facillime inter omnia corporis humani vascula aperiuntur, & sanguinem fundant.

Primaria arteria, quæ huic membranæ prospicit, est propago arteriæ maxillaris internæ, ea ramis suis undique per nares, per septum, & ossa spongiosa distribuitur.

Hanc sequitur arteria ethmoidea, quæ ex ophthalmica enascitur, per quam etiam salutaris illæ narium hæmorrhagiæ in morbis præcipue capitis calidis contingere videntur, cum ea ex carotide interna descendat, adeoque potenter cerebrum a nimia sanguinis quantitate liberet. Ramis suis undique ludit per sinus frontales, sphœnoidales, cellulasque ethmoideas; ad antra hygmori vero rami diversi ab arteria palatina & dentali superiori, posteriori accedunt.

Omnes hæ arteriæ pluribus anastomosibus inter se junguntur, ita ut facilis ab unius ramo in ramum alterius sit via. Eandem communicationem etiam venæ observant, quæ plerumque arteriis comites in cognomines venas sanguinem suum effundunt, principes tamen earum trunci in venam temporalem, & ramum venæ jugularis, quædam aliæ in sinus duræ matris sese exonerant; venæ ethmoideæ ad ophthalmicam venam redeunt.



Ufus horum vasorum est, ut partim nutritioni omnium harum partium prospiciant arteriæ, partim vero secretio ibi fiat continua, per vasa minima exhalantia, vaporis cujusdam, qualis in omni cavea corporis humani deprehenditur, hoc humore molles & flexiles teneræque omnes servantur partes: hic humor hyemali frigore in nubeculam condensatus, naribus efflatus visibilis sub fumi forma se manifestat: præter hunc humorem adhuc in membrana schneideriana mucus secernitur, de quo quidem longa olim disceptatio fuit inter Schneiderum, qui eum ex arteriis jam talem fecerni voluit, & inter Stenonium, qui eum ex folliculis separari reliquit: videtur uterque conciliari ita posse: nostris temporibus constat omnem cujuscunque humoris secretionem ab arteriis fieri; eos secretos humores tenues esse, sed mora & quiete diffatis tenuioribus partibus lentescere & inspissari. Jam in sinibus ubi humores colliguntur, & quiescunt, facile ex tenui ab arteriis secreto humore lentus nascitur mucus, in naribus vero ubi hæc facilitas stagnationis non concedebatur, natura folliculos plurimos præsertim in narium septo præparavit, intra quorum cavitatem secretus ab arteriis humor quiete inspissaretur, & in similem mucum commutaretur: huic etiam opinioni anatomes consentit; follicu-

culos copiosos in narium membrana universim, & præsertim in septo, nullos vero in membrana sinuum utpote inutiles demonstrans: antè ad foramina circa pinnae & septum positæ glandulæ sebaceæ sunt, & pilos vibrissas dictos emittunt, atque cum iis ad pulveres figendos arcedaque insecta inerviunt.

Mucus hic eximie in hoc organo est utilitatis, nervos enim pene nudos narium oblinat, membranam Schneiderianam mollem, pulposam & sensilem conservat, odorata effluvia suscipit, nviscat, retinet, atque contra acrium incursum nerveas fibrillas tuetur, quæ nudos fere nervos cito destruxissent: nudi autem nervi ideo requirebantur ut a particulis odoratis præ tenuitate inconspicuis, atque omni fere impulsione vi destitutis affici possent, quod in nervis crassiori membrana tectis expectandum non fuisset. Ita etiam si mucus diuturniori mora nimis inspissatus nervos nimis obtegit, olfactus minuitur, & sensim perfecte perit, donec vel emunctione vel excreatione, vel si plane in duras lemas concreverit, motu convulsivo sternutitionis expellatur, & amissus olfaciendi vigor in organo restituatur.

Hæc muci, hæc arteriarum, quibus membrana pituitaria, pingitur est utilitas, venarum



vero in eo consistit, ut sanguinem a secretionē & nutritione residuum reducant.

Præter vasa arteriosa & venosa, quæ per membranam schneiderianam distribuuntur, adhuc per eam excurrunt nervi, quorum alii ex pari primo nervorum capitis, alii ex pari quinto accedunt, alii ex aliis adveniunt locis. Primum par nervorum cerebri, quod olfactorium proprie dicitur, quodque in omni animali & quidem magnæ molis reperitur, & eo majus, quo animal sagacius, oritur fibris medullaribus ex basi corporum striatorum, inter lobos encephali anteriores & medios excurrit, hinc recta antrosum ad os ethmoideum fertur: in hoc osse plurima sunt foramina infundibulis a dura matre factis plena, quæ inde ad septum narium ducunt, in ejusmodi infundibulis rami nervi olfactorii hærent, qui inde descendentes per totum narium septum, & officula spongiosa distributi & ramosi terminantur.

Præter hoc primum par nervorum alii adhuc nervi organum olfactorium subeunt: sic primus ramus primi rami quinti paris, dein ramus secundus ejusdem paris multis locis ramos ad os spongiosum supremum inque sinum frontalem cellulasque ethmoideas distribuunt: porro infra orbitalis nervus, denique alveolaris nervi rami dentales superiores, & demum ex trunco

palatino anteriori furculi ad nares tendunt ,
atque in earum interna superficie , præsertim
per sinum maxillarem atque loca vicina variis
modis ludunt.

Ita fabrefactum est organum , mediante quo
natura experiri voluit corporum odoratorum
indolem & vires , quod , dum facimus , olfacere
dicimur : antequam autem perpendamus , quo-
modo , olfactus exerceatur , opus est , quasdam
exponere conditiones , quæ in homine olfa-
ciente , & in corpore dijudicando , inque mo-
do olfaciendi requiruntur.

Conditiones in homine olfaciente requisitæ
eæ sunt , ut primo mente constet , aptusque sit
dijudicandis mutationibus in organum factis ,
dein ut in organo ipso nullum sit vitium stru-
cturæ , viæque sint liberæ , demum ut mucus de-
bita adsit quantitate , nam nimius nervos ob-
tunderet , nimis parvus eos non satis defende-
ret : porro ut idem mucus mitis & inodorus sit ,
alias enim vel acrimonia sua læderet , vel suum
pro alieno exhiberet odorem : ita in gravissimo
narium morbo ozæna mucus ille a putrescenti
acri materia corruptus perpetuo nares irritat ,
foetidumque odorem pessimum exhibet.

Quod corpus dijudicandum attinet , requiri-
tur , ut in eo adsint odorata elementa , quæ
vel sponte volatilia sese perpetuo manifestant ,



vel facili negotio volatilia reddenda, naribus exhiberi facile possunt, atque, ut et nimis mitia exhalenteffluvia, quæ apta non essent organum nostrum afficere, neque nimis acria, quibus nervi nimis acriter irritati ideam doloris potius quam odoris excitarent.

In modo demum olfaciendi ea sunt notanda ut, præmissis omnibus dictis conditionibus, dum ex industria corporis indolem per effluvia odorata explorare volumus, aërem certo modo inspiremus. Ordinaria enim aëris per nares inspiratione, olfacimus quidem, sed non adeo exquisitè, aut si plane non inspiramus, omnis olfactus cessat; ita per foetidissima loca incolumis quisque transire poterit si respirationem cohibuerit. Debet ergo aër effluviis odoratis repletus crebris, exiguis, repetitis inspirationibus, sine expiratione intra nares attrahi, unde pinnæ narium dilatatæ majorem quantitatem aëriis & vehementius adducunt, fit inde ut particulæ cum aëre haustæ in membranam Schneiderianam incurrentes, nervos per eam dispositos afficiant, mutantque, quæ mutatio ad sensorium commune delata excitat ideam odoris & quidem varii, prout a diverso corpore odorato alia atque alia nervis fuerit inducta mutatio.

Quam multiplex sensus hujus sit exercitium quotidiana & omni momento repetita fere docet experientia. Ab hoc frequentissimo exercitio ad ejus dignitatem facile concludere licet; sequitur inde utilitatem ejus non mediocrem esse; Primarius autem & maximus ejus usus ille esse videtur, ut gustui subveniat, ejusque faciles errores prævertat: ita homines plerumque de noxia & bona ciborum qualitate odoratu certiores redduntur, & odore cibos distinguunt, semper vero odor ad alimenta sumenda animalia vel invitat, vel ab illis repellit; ideo etiam omnibus animalibus communem esse olfactum persuademur, nam victum sibi utilem quasi olfactu quærent, ab alio distinguunt, malum aut exitialem evitant, licet hac in re subinde fallere possit olfactus, si effluvia nimis mitia non satis admoneant de pabuli qualitate.

Altera organi olfactus utilitas non minor, licet minus frequens in eo consistit, ut vires medicatas inde dignoscamus aliquantum, in qua re gustus ab olfactu adjuvatur. Animalia, quibus aliorum experimenta non succurrunt, ideo sagaciora voluit natura, ut facilius omnia dignoscerent.

His sensus olfactus utilitates circumscribuntur, nondum vero usus narium omnis in his ponitur: nam & ad faciliorem respirationem infer-

viunt, quæ si obstructis naribus per os fiat, molestant siccitatem inducit, & suas ad vocis resonitum suavitatemque partes conferunt; notum enim est clausis naribus aut morbo destructis ingratam fuscamque esse vocem.

Ultima demum narium utilitas ea est, ut in animi deliquio constituti homines aut quacunque de causa *ασφυσία* laborantes non meliori via excitentur, & refocillentur; acria enim irritantia medicamenta naribus applicata necessario faciliorem edunt effectum, cum nervi & cerebro vicinissimi & pene nudi, & numerosi, mollesque, nullo alio in toto corpore exemplo ibi habeantur.

Cum olfactus territorium adeo sit amplum, atque ex multiplicibus fabrefactum partibus cumque diversi per hoc organum distribuuntur nervi multum olim disceptatum fuit, quænam præcipua esset hujus sensus sedes, & quisnam nervus proprie huic sensui famularetur. Quod primum attinet, in eo omnes consentiunt sedem olfactus esse in membrana schneideriana narium, inque nervis per eam distributis; verum quidam hanc sedem ita limitarunt, ac si tantum in septo narium & ossiculis spongiosis hæreret olfactus, nullus vero esset in sinubus: hoc quidem nimium esse videtur, nam licet ut in aliis sensibus externis una pars exquisitori munere



nere fungatur, non ideo tamen reliquæ partes omni sensus exercitio destituuntur; ita etiam in olfactus organo res se habet. Septum quidem & officula spongiosa hinc adeo mire fabrefacta, ut superficies plurimum augetur, plurimos maximeque nudos gerunt nervos, aëri, particulisque odoratis plurimum expositos, indeque etiam in his partibus vera olfactus sedes videtur esse statuenda; confirmamur in hac opinione ex eo, quod si in his partibus morbus hæreat, olfactus vix non ex integro pereat, confirmamur præterea, quod in animalibus fagacioribus fabrica harum partium perfectior & in universum major reperiatur, naresque longiores officula spongiosa majora, magis flexa, tortuosa magis deprehendantur: non mirum ideo si in his partibus veram exquisitioris olfactus sedem statuamus, quæ nervis abundant: non autem ideo reliquis partibus omne hujus sensus exercitium est denegandum, licet non adeo acutus in iis sit sensus: nam eadem membrana schneideriana nervis licet paucioribus predata, quæ totum cavum narium & omnia ossa investit, etiam sinus investit, & idem aër odoratis effluviis plenus, qui in omni cavo narium quaqua versus dispergitur, etiam ad sinus penetrat, cur itaque in sinibus olfactum aliquem exerceri denegaretur, non video, mitiorem ta-

men, & non adeo vividum eum esse facile persuadeor.

Ex hucusque allatis etiam altera quæstionis pars jam soluta est, quisnam nervus proprie huic sensui famularetur; quidam enim solum primum par nervorum, alii autem solos ramos nasales quinti paris huic officio inservire contendebant. Copiosissimi enim rami tam a primo pari, quam a ramis nasalibus quinti paris per membranam pulposam narium tenerrima epidermide tectam sparguntur, neque primum par molle & quintum par durius esse reperitur, nec quidpiam a se invicem differunt, nec certo si primum par nervorum solum olfactui famularetur, tot fere innumeri rami ab aliis adhuc nervis in membrana pituitaria distribuerentur, aut vice versa; hinc nulla certo ratio suadet, vel solum primum par nervorum, vel solum quintum hunc sensum exercere, sed potius utrumque olfactui famulari: verum nemo tamen deerit asserere, præcipue par primum hoc officio fungi, paris quinti ramos nasales longe minus: rami enim paris primi vel plurimum ibi distribuuntur, ubi mox antea asseruimus sedem exquisitioris olfactus esse propriam; hinc & proprium hujus sensus exercitium pari nervorum primo competit, minus longe licet semper ali-



aliquod reliquis etiam per hoc organon distributis nervis.

Inter utilitates olfactus eam primariam posuimus, quod gustui succurrat; ejusque errores prævertat; quæ enim olfactui grata ea plerumque salubria, esse, quæ vero olfactui ingrata, foetida, ab iis naturam laudabilem abesse plerumque etiam vulgo creditur; inde seducti nonnulli materiam sapidam & odoratam eandem esse crediderunt. Confirmabantur in sua opinione per vicinitatem organorum, continuationem membranarum investientium, similemque earum naturam, porro quod viderent, eundem morbum utrumque sensum delere, catharrum nempe, demum unum sensum alteri succurrere, atque multa quæ olfactu ingrata sunt etiam gustui nauseosa esse. Verum hæc omnia argumenta speciosa satis nondum demonstrant eandem saporis aut odoris esse materiam.

Magna primo obtinet organorum gustus & olfactus diversitas, molles & tenerrimi sunt nervi narium, duriores multo sunt gustus papillæ, sapidi vehiculum est saliva, vel aliud liquidum, odoris vehiculum vero aër, saporis elementum est sal qualiscunque, odoris vero volatile quodcunque, quod aliquam simul acrimoniam conjunctam habet, porro dantur vehementer odorata corpora, sapore vix ullo. ut in Lilliis, violis,

lis; sapida vero aliquando nullo odore donantur. Sales medii, sales lixiviosi odore destituuntur, sapore eminent, & in eodem nonnunquam corpore gratus odor cum ingrato sapore conjunguntur & vicissim. Videtur hinc diversitatem certe esse inter materiam odorum & saporum, illa tenuissima est phlogisto juncta & perpetuo volatilis requiritur, hæc unice a sale pendet nihilque refert, an volatilis sit nec ne.

Inter conditiones, quas ad olfactus exercitium in ipso corpore dijudicando requisitas esse diximus, eam posuimus, ut corpus dijudicandum odorata contineret elementa, in ea jam elementa inquirere convenit, ubi primo considerabimus, quænam corpora talia elementa contineant, dein quænam natura & indoles eorum sit, ultimo subjungemus, qualis inter ea corpora sit diversitas.

Vix credibile est dari corpus aut fluidum aut solidum adeo suorum elementorum tenax, ut non partem eorum quandam, quæ reliquis est volatilior perpetuo, amittat, quæ per aërem distributa eo parciore copia sese manifestat, quo magis a corpore suo recedit, partes hæc vulgo effluvia dicuntur: fluida perpetuo per atmosphæram suas subtilissimas particulas spargere satis notum, sed etiam solida corpora idem facere ratio & experimenta suadent,

& licet quædam corpora non ita manifesto ex-
 halare videantur, tamen facile varia encheirisi
 inde elliciuntur effluvia, hoc facile calor, vis
 electrica aut simplex trituratio præstat, vel
 dissolutio in variis menstuis, compositio cum
 aliis aut effervescentia cum oppositis exhibet:
 ita fors omnia corpora tum ex regno vegetabi-
 li tum animali & minerali perpetuo effluvia sua
 per athmosphæram spargunt, quorum plurima
 certe odorata sunt, ita ut tantum ea ex classe
 corporum odoratorum excludere conveniat, quæ
 vel ita mitia sunt, ut aqua pura quæ nervos
 olfactiles afficere non valet, vel quæ ita fixa
 sunt, ut nulla ratione in elementa exhalationi ap-
 ta reduci quæant, ut terra pura, aut Sales medii.

Quemadmodum elementum saporis unice sal
 constituit, ita quidam in solo phlogisto sedem
 odoris fixerunt: certe quidem omnia quæ ignem
 suscipere sunt apta, odorem spargunt, non ta-
 men ideo unice phlogiston elementum odoris
 continere videtur: omne acidum proprium sibi
 odorem spirat, multo alienum ab eo odore
 qui ab acidorum corporum phlogistica par-
 te venit, dein vitra, in quibus difficulter
 ullum phlogiston admitti potest, conficta
 validum & gravem spargunt odorem: plura ad-
 duci possent argumenta, non videri, unice
 phlogiston elementum odoris continere.

Quod

Quod vero indolem hujus elementi attinet in universum ea videtur in partium tenuitate locari, quæ per aërem sparguntur, inque earum acumine, quo nares afficere valeant. Subtilitas autem elementi odorati tanta est, ut vix queat purum exhiberi: intra vehiculum enim vel aqueum vel oleum, vel salinum acidum, vel alcalinum volatile, aut demum electricum includitur. Subtilitas autem hujus elementi eo magis inde elucet, quod ingentem atmosphæram pauca corporis odorati grana ut ambræ, camphoræ, longo tempore repleant, & tamen vel minimum de suo pondere ammittant: æque tenuis est materia odorata in perspiratione hominum aut animalium, quam canes ad ingentem distantiam sagiunt: quanquam autem odorati elementi tanta sit subtilitas, dantur tamen corpora, quæ id tenuitate vincunt: elementum odoratum intra vitrum conclusum manet, transit vitrum materia electrica, vis magnetis, calor & lumen: differentia fors in eo ponitur, quod materies odorata nimis potenter a vinculo suo coërceatur, quo impeditur, ne etiam per vitrum penetret.

Utcunque tamen ex subtilissimis fit materies odorum non ideo vires minores exercet, plerumque enim eo vires sunt majores element-

mentorum , quo subtilioribus formantur partibus : si jam adeo potentes particulæ nudis fere narium nervis cerebroque proximis applicentur , non mirum si validissimos , optimos nonnunquam , sed & deleterios subinde producant effectus : ita nonnunquam semianimes homines odoramentis in vitam revocantur , subinde vero ex acribus odoramentis applicatis immensæ sternutationes , convulsiones & etiam mortes sequuntur ; lethum tamen etiam alii odores sed ignoto modo adducunt , quorum eximiam acrimoniam non possumus accusare , ita & alia corpora solo odore alvum aut vomitum movent , aut somnum inducunt ; in his odorum viribus multa quoque peculiari idiosyncrasia in quibusdam hominibus , quorum nerveum systema irritabilius a minori etiam causa validius afficitur , est adscribendum ; mitissimus enim æquæ ac suavissimus rosarum odor quosdam subinde in animi deliquia & convulsiones conjicit , qui acriores longe odores impune ferunt.

Cum adeo mirabiles odorum sint effectus , tentarunt quidam in causas inquirere odorum : sed obscurum super hæc sua arcana velum natura posuit , ut pauca sint , quæ desuper dicere valeamus ; Ex innumeris experimentis & ratiociniis hoc deducere licuit calorem primariam esse
odo-



odorum causam, cum ea, quæ mitia sint, acriora, magisque volatilia reddat: rudimenta enim plerorumque corporum aut fatua sunt, aut tenuissimi halitus, ita animalia nonnunquam in pascuis recentissimas herbas non a se invicem æque bene distinguunt, quam dum magis adoleverunt; ea sensim fatuitas accedente calore in odorem vehementiorem jam suavem jam gravem evehitur; modum vero, quo hoc fiat, non assequimur.

Licet calor causa omnium odorum videatur esse unica, tamen odor jam semel præsens aliis methodis mutari aut augeri poterit, hoc plerumque mixtione diversorum corporum odoratorum, autve dissolutione in variis menstruis fieri potest: mirum certe est etiam inodora fere, augere aliorum fragrantium corporum odores, quemadmodum aqua meliloti parum per se odora præstat.

Cum pleraque & fors omnia corpora perpetuo effluvia sua per atmosphæram spargant, facilis conjectura est, ea odoribus suis inter se differre, & idem hoc experientia confirmat quotidiana aliis corporibus alium inesse odorem eumque jam gratum, jam ingratum, jam fortem, aut debilem, licet subinde quidam diversorum corporum odores sibi perfecte sint similes: inde non incongruum fore: omnes odores

in quasdam classes redigere: pauca sunt, quæ desuper in plurimis authoribus habentur, licet diligentissime & subtilissimis experimentis in objecta, aliorum sensuum, uti in lucis radios in fallium figuras inque aëris tremores inquisierint; interim quæ collectim habentur eo redeunt, ut omnes odores in tres classes dispesci queant, in suaves nempe, in nauseosos, mediosque inter hos odores; licet in judicio circa odores non omnes semper conveniant homines, tamen plerique circa hæc concordant.

Suavis odor & fragrans plerumque in regno vegetabili habitat, in quibusdam aromaticus, in quibus ab oleo, resinofus in aliis, in quibus a resina aut balsamo pendet, rursus in aliis aquosus & suavis ut in rosis, violis, &c. deprehenditur: innumeras gratus vegetabilium odor admittit subdivisiones, quæ tamen aliqua nota cum pluribus aliis concurrentes speciem unicam efficere possent. In regno minerali rarissimus est gratus odor & vix ullus, neque frequens in animali regno deprehenditur, nisi in sæbo quorundam animalium, aut aliorum excrementis, quorum quædam post aliquam putredinem perfectam gratum odorem spargunt.

Medii odores frequentissimi etiam occurrunt, quorum pauciores ingrati, grati plerique, suavis tamen annumerari nequeunt. Plerum-

que odor medius rursus in vegetabili regno habitat; in quibusdam plantis fere in fatuum transit, uti olerum, leguminum, graminum &c. plerorumque; gratus nonnullorum etiam empyreumaticus dum torrentur uti panis & notissimæ Coffeæ; gratus etiam plerumque odor ex fermentatis corporibus, uti vini, aceti, etiam spiritus vini gratus; regnum minerale & animale vix medios odores exhibent.

Nauseosorum odorum & qui vere in foetidum transeunt, princeps sedes in regno animali & minerali videtur locanda esse: ita fodinæ, pleraque earum producta olent: inter animalia autem quodvis peculiarem sibi habet odorem nauseosum, nonnunquam foetidum: talis odor excrementorum & corrupti adipis & ovi putridi & contabescentis corporis, adeo validus est talis odor, ut veneni fere ad instar agat, sed neque vegetabilia ex hac classe sunt excludenda, quorum multa nauseosum, gravem, imo foetentem spargunt odorem, pleraque huc spectant quæ vel alliacium vel narcoticum, vel tenuiorem licet, sed acrem exhalant, sufficiat interim hæc levis classium odorum adumbratio. Coronidis loco rationem gratiæ aut ingratæ eorum perferutabimur.

Quidam odores cur suaves, nauseosi alii nobis apparent, admodum difficile est determinare; ple-
rum-




rumque ea odore suo dicimus placere, quæ in
escam fumimus; procul dubio tamen communis
quasi plurimorum hominum est propensio in sua-
veolentia quemadmodum rosa est, quæ medio-
critate suæ odoriferæ naturæ placere videtur,
atque sub mentis attentione; in peculiarem gra-
tum quendam languorem totum corpus adducit,
quæ vero gravem spargunt odorem molesta sunt,
quæ fatuum ea non percipimus: sed etiam orga-
num hominis olfacientis diversitatem ponere po-
test, ut aliud aliudque circa odores feratur ju-
diciū: sensilius enim si fuerit organum facilius
percipiet odores, aque lenioribus etiam jam gra-
vius affectum eas respuet; quod si callosi nervi
leniores odorum impressiones suffocent, & tan-
tum gravioribus emoveantur, in iis sibi place-
bunt: difficile est inde judiciū circa odorum
gratiam, & multum aut peculiari idiosyncrasia
aut etiam consuetudini tribuendum
videtur.





COROLARIA.



I.

Olfactu corpora odora a se invicem distinguuntur.

II.

Non omnia corpora perinde odora sunt, sed alia aliis odorem spirant fortiolem.

III.

Alia nostras nares non afficiunt, neque tamen penitus inodora sunt.

IV.

Cum ea, quæ inodora putamus paucis circumstantiis mutatis odora fiant.

V.

Materia odorum constitunt effluvia spiritiosa, oleosa, salina.

VI.



VI.

Male hinc afferunt illi, qui materiam odorum in particulis sulphureo-mercurialibus collocant.

VII.

Ea itaque corpora odora dicuntur, quæ effluvia spirituosæ, oleosæ, aut salinæ spargunt.

VIII.

Inodora vero ea, quæ perfecte fixa sunt & nullo tritu, nullo igne in alia exhalationi apta elementa discedunt.

IX.


Inodora quoque & ea sunt, quæ quidem exhalant, & effluvia habent, sed ita mitia, ut nervos olfactorios non afficiant.


X.

Prout diversa in rerum natura corpora, ita etiam diversos odores spargunt, licet quandoque ex sibi oppositis fere simillimi obtineantur odores.

XI.

Magnam vim odorum explicat nuditas nervorum & cerebri proximitas, non mirum inde, si venenatas vel medicas vires exerçant.





NARODNA IN UNIVERZITETNA
KNJIZNICA

COBISS.R



00000320994

